



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Sessio XXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

VIGESIMA SECVNDA. 197

Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri, non verè intelligant.

Indictio futuræ Sessionis.

Sacrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, presidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, statuit, & decrevit, proximam futuram Sessionem habendam & celebrandam esse feria quinta, post octavam festi Natiuitatis beatæ Mariæ virginis, que erit 17. mensis Septembris, proximè futuri: Hoc tamen adiecto, quod dictum terminum, ac vnicuiq; Session. in posterum præfigendum, ipsa sancta Synodus pro eius arbitrio, & voluntate, sicuti rebus Concilij putarit expedire, etiam in generali Congregatione, restringere, & prorogare liberè possit, & valeat.

SESSIO XXII.

QVAE EST SEXTA,

SVBIVLIO IV. PONT. MAX.

CELEBRATA DIE XVII.

SEPT. M. D. LXII.

Doctrina de sacrificio Missæ.

Sacrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, presidentibus in ea eisdem

dem Apost. Sedis Legatis, vt vetus absoluta, atq; omni ex parte perfecta de magno Eucharistiae mysterio in sancta Catholica Ecclesia fides, atque doctrina retineatur, & in sua puritate, propulsatis erroribus, at heresibus, conseruetur, de ea, quatenus verum, & singulare sacrificium est, Spiritus S. illustratione edocta, hoc, quae sequuntur, docet, declarat, & fidelibus populis predicanda decernit.

CAPVT I.

a Heb. 7. **Q**uoniam sub priori testamēto, teste Apostolo Paulo, propter a Levitici sacerdotij imbecillitatē consummatio non erat: oportuit, Deo patre misericordiarū ita ordināte, sacerdotem alium secundū ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus, & Dominus noster, etsi b semel suspensum in ara Crucis, morte intercedēte, Deo patri oblaturus erat, vt eternam illi redemptiōnem operaretur: quia tamē per mortem sacerdotium eius extinguendū nō erat, in cena nouissima, qua nocte tradebatur, vt dilēctae spūsue Ecclesiae visibile, sicut hominū natura exigit, relinqueret sacrificiū, quo cruentū illud, semel in Cruce peragendum, repraesentaretur, eiusq; c memoriam in finem vsque seculi permaneret, atq; illi salutaris virtus in remissionem

nem

nem eorū, que à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur. sacerdotem secū dēm ordinē Melchisedec se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinē suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub eandem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes cōstituebat, ut, sumerent, tradidit & eisdem, eorumq; in sacerdotio successoribus, ut offerret, præcepit per hæc verba. a Hoc facite in meā commemorationē, b
 uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriā b exitus de Ægypto multitudo filiorū b
 Israhel immolabat, nouū instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandū, in memoriā transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quādo per sui sanguinis effusionem nos redemit, c eripuitque de potestate tenebrarum, & in regnum suum transtulit. Et hæc quidē d illa munda oblatio est, que d
 nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiā nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mūdā offerendam prædixit: & quam nō obscure innuit Apostolus Paulus, c
 e Corinthis scribens, cū dicit: non possent eos, qui participatione mensæ demoniorū polluti sunt, mēse Domini participes fieri. per mēsam altare utrobique intelligens. Hæc deniq; illa est, que per varias sacrificiorum, nature,

a Mat. 26.
Luca 22.

b Exod. 15

c Col. 1.

d Mal. 1.

e 1. Cor. 10. d. e.

Et legis tempore, similitudines figurabantur, utpotè que bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio, & perfectio complectitur.

CAPVT II.

ET quoniã in diuino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus cõtinetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit, docet sancta Synodus, sacrificium illud verè propriè uerè esse, per ipsumque fieri, ut, si eũ uerò corde, & recta fide, cum metu, & reuerentiã, contriti, & pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiã consequamur, & gratiã inueniamus in auxilio opportuno. a Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & denum pœnitentiã concedens, crimina & peccata, etiam ingrãtia dimittit una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit sola offerendi ratione diuersa. Cuius quidẽ oblationis, cruenta, inquam, fructus per hanc uberrimè percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quouis modo derogetur. Quare nõ solum pro fidelium uiciorum peccatis pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem, offertur.

a Aug. 10.
de ciu.
Dei, c. 20.

b inf. 3el.
25. in pri.

CAPVT III.

ET quamuis a in honorem, & memoriam
Sanctorum nonnullas interdum Missas ec-
clesia celebrare consueuerit; non tamen illis
sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos
coronauit; vnde nec sacerdos dicere solet, offe-
ro tibi sacrificium Petre, vel Paule; sed Deo de
illorum victorijs gratias agens, eorum patrocini-
a implorat; vt ipsi pro nobis intercedere dig-
nentur in celis, quorum memoriam facimus
in terris.

a August.
de Ciuit.
Dei. li. 3.
cap. 27.

CAPVT IV.

ET cum sancta sanctè administrari conue-
niat, sit que hoc omnium sanctissimum sa-
crificium Ecclesia Catholica, vt dignè reue-
renterque offerretur, ac perciperetur, sacrum
canonem multis ante sæculis instituit, ita ab
omni errore purū, vt nihil in eo contineatur,
quod nō maximè sanctitatē, ac pietatem quā-
dam redoleat, mentesque offerentium in Deo
erigat. is enim constat cum ex ipsis Domini
verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac
sanctorum quoque Pontificum pijs institutio-
nibus.

CAPVT V.

Cumque b natura hominum ea sit, vt non
facile queat sine adminiculis exterioribus
ad rerum diuinarum meditationem, sustolli;
propterea pia mater Ecclesiarum quosdā, vt

b August.
lib. 3. de
lib. arbit.
cap. 10.
Humana
autem a-
nima.

Scilicet quedam summissa voce, alia verò elatiore, in Missa pronuntiarentur, instituit, ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apost. disciplina & traditione, quo & maiestas tanti sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, que in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

CAPVT VI.

a Alioqui
nec Pab.
de conf.
dist. 1.

1. Et si nō.
nec Cōc.

Eliberti
de conf.

dist. 2. O-

mnis ho-

mo. nec 1.

Tol. c. 13.

probasset

certis tā-

tum tem-

poribus

commu-

nicantes.

Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles ad stātes nō solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistie perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus uberior proueniret: nec tamen, si id non semper fiat, & propterea Missas illas, in quib. solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut priuatas, & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat, si quidem ille quoque Missæ verè cōmunes censeri debent partim, quod in eis populus spiritualiter communicet; partim verò quod à publico Eccl. si. e ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.

tur.

CAPVT VII.

Monet deinde sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia è latere eius aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum b. Aque in Apocalypsi beati Ioannis populi dicantur; ipsius populi fidelis cum capite Christo vnio representatur.

CAPVT VIII.

Et si Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem; non tamen expedire visum est patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento vbique cuiusque ecclesiae antiquo, & à sancta Romana Ecclesia omnium ecclesiarum matre & magistra, probato ritu, ne oues Christi esuriant, & reue paruuli panem petant, & non sit qui frangat eis, mandat sancta Synodus Pastoribus, & singulis, curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios ex ijs, quae in Missa leguntur, aliquid exponant, & atque inter ceteras sanctissimi huius sacrificij mysterium aliquod declarant, diebus praesertim Dominicis & festis.

a 2. Carthag. 14.
& Brac. c. 3. c. 1. ex Cypria. li. 2. epi. 3.
b Apo. 17.

c Thre. 4.

d Sess. 24. ca. 7.

CAPVT IX.

Quia verò aduersus veterē hanc in sacro-
 sancto Euāgelio, Apostolorum traditio-
 nibus, sanctorumque Patrum doctrina funda-
 tam fidem, hoc tempore multi disseminati
 sunt errores, multaque à multis docentur, atque
 disputantur; sacrosancta Synodus, post multos
 grauesque his de rebus maturè habitos tracta-
 tus, unanimi Patrum omnium consensu, quæ
 huic purissimæ fidei, sacræque doctrinæ aduersa-
 tur, damnare, & à sancta Ecclesia eliminare,
 per subiectos hos canones constituit.

DE SACRIFICIO
Missæ.

CANON I.

Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo ve-
 rum & proprium sacrificium, aut quod offerri
 non sit aliud, quàm nobis Christum ab mandan-
 dandum dari: anathema sit.

CANON II.

a I. Cor. 12.
b Luc. 22.

Si quis dixerit, illis verbis, a Hoc facite in
 meam commemorationem, b Christum non in-
 stituisse Apostolos sacerdotes, aut non orde-
 nasse, ut ipsi, alijque sacerdotes offerrent cor-
 pus, & sanguinem suum: anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, Missæ sacrificiū tantum esse

la-

laudis, & gratiarū actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumēti, neque pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere: anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio, in Cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari: anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit: anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse: anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, ceremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, vitia impietatis esse magis, quam officia pietatis: anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, Ecclesie Romane ritum, quo summissa voce pars canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse. aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse, vino in calice offerendo, eò quod sit contra Christi institutionem: anathema sit.

Decretum de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ.

a Hier. 48

Quanta cura adhibenda sit, vt sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, quiuis facile existimare poterit, qui cogitarit, male dictum in sacris literis cum vocari, a qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum, ac diuinum, à Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium. quo viuifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur, satis etiã apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, vt quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori deuotionis ac pietatis specie peragatur. Cum igitur multa iam siue tēporum vitio, siue hominum incuria, & improbitate inreperire videatur, quæ à tãti sacrificij dignitate aliena sunt, vt ei debitus honor, & cultus ad Dei gloriam, & fidelis populi edificatiõem restituatur.

de-

ternit S. Synodus, vt Ordinarij locorū Episcopi
 ea omnia prohibere, atq; e medio tollere sedulo b Eph. 5.
 curent, ac teneātur, q̄ vel auaritia, b idolorum
 seruitus, vel irreuerentia. q̄ ab impietate vix
 seunūta esse potest, vel superstītio, vera pie-
 tatis falsa imitatrix, induxit. Atque vt mul-
 ta paucis comprehendantur, in primis, quod ad
 auaritiā pertinet, cuiusuis generis mercedum
 conditiones, pacta, & quidquid pro Missis no-
 uis celebrandis datur, necnon importunas, atq;
 illiberales elemosynarum exactiones, potius
 quam postulationes, aliaq; huiusmodi, q̄ à si-
 moniaca labe, vel certē à turpi questu non lō-
 gē absunt, omnino prohibeant. Deinde, vt irre-
 uerentia vitetur, singuli in suis diocēsis in-
 terdicāt, ne cui vago, & ignoto sacerdoti Mis-
 sas celebrare liceat. Neminē præterea, qui pu-
 blicē, & notoriē criminatus sit, aut S. altari
 ministrare, aut sacris interesse permittāt; ne-
 ue patiātur c priuatis in domibus, atq; omni-
 nō extra ecclesiam, & ad diuinū tantū cultum
 dedicata oratoria, ab iisdem Ordinarijs desig-
 nāda, & visitāda, sāctū hoc sacrificiū à secula-
 rib. aut regularibus quibusq; peragi: ac nisi
 pri' qui interfit, decēter cōposito corporis habi-
 tu, declarauerint se mente ēt, ac deuoto cordis
 affectu non solum corpore, adesse. Ab ecclesijs
 verō musicas eas, vbi siue organo siue cantui
 lasciuū aut impurū aliquid miscetur, item se-
 culares omnes actiones, vana, atq; adeo pro-

c. Cōc. La-
 odicē. ca.
 8. Conc.
 Carth. 2.
 c. 9. c. fic-
 ut. cū seq.
 c. hic er-
 go. c. nul-
 lus pres-
 byter. &
 c. cleri-
 cos. de
 cōs. dist.
 i. iuxta
 Con. La-
 od. c. 58.
 & Felic.
 Papam in
 ep. ad oēs
 Episcop.
 & ante
 hos Ana-
 cletus e.
 pist. 1.

fana

a Mat. 21. fana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant; ut domus a Dei verè domus orationis esse videatur, ac dici possit. Postremò, ne superstitioni locus aliquis detur, edicto, et pœnis propositis caueant, ne sacerdotes alij, quam debitis horis celebrent; ne ritus alios, aut alias ceremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesiaprobatæ, ac frequenti, & laudabili usu receptæ fuerint. Quarundam verò Missarum, & candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quam à vera religione, inuentus est, omninò ab ecclesia remoueat: doceantque populum, quis sit, & à quo potissimè proueniat sanctissimi huius sacrificij tam pretiosus ac cœlestis fructus. Moneant etiam eundem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis, & maioribus festis, accedant. Hæc igitur omnia, quæ summam enumerata sunt, omnibus locorum Ordinarijs ita proponuntur, ut nò solum ea ipsa, sed quæcunq; alia huc pertinere visa fuerint; ipsi pro data sibi à sacrosancta Synodo potestate, ac etiam, ut delegati Sedis Apostolicæ, prohibeant, mudent, corrigant, statuunt: atque ad ea inuolatè seruanda censuris ecclesiasticis alijsque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant: non obstantibus priuilegijs, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque.

b c. 2. de
 par. Vide
 Conc. A-
 gath. 21.
 & 63.

Decretum de reformatione.

Eadem sacrosancta, ecumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, presidentibus in eisdem apostolice Sedis Legatis, ut reformationis negotium prosequaretur, hec in presenti statuenda esse censuit.

CAPVT I.

Nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt, cum enim a rebus seculi in altiore sublati locum conspiciantur: in eos tamquam a speculum, reliqui oculos conijciunt, ex hisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sorte Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus rebus nil, nisi graue, moderatum, ac religione plenum pre se ferunt: leuia etiam delicta, que in ipsis maxima essent, effugiunt: ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo maiore in Ecclesia Dei, & utilitate, & ornamento hec sunt, ita etiam diligentius sint obseruanda, c. statuit sancta Synodus, ut que alias a summis Pontificibus, & a sacris Concilijs de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque; retinenda, ac simul de luxu, comestationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque

cri-

* inf. Sess. vl. de ref. cap. 1. a Matt. 5. Tit. 2. ca. qualiter, in 2. accus. c. clericos. 21. dist. b Sess. 14. in proe. c de vi. & ho. cler. extra in 6. & Cler. c. non oportet in 2. de col. dist. 5. ca. canonibus. 14. q. 3. c. credo. 21. q. 3. Cōc. Cartha. 1. c. 6. & Cōc. Cartha. 3. c. 15. Con Chal. ca. 3. Concil. Arelat. 2. c. 14. cum sim. & infr. Sess. 24. de ref. cap. 12. d vide r. Con. Ma.

ticon. c. 5. & 2. crimibus, nec non secularibus negotijs fugiendis copiose, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum eisdem penis vel maioribus, arbitrio Ordinarij imponendis, obseruentur: nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si qua verò ex his in desuetudinem abiisse compererint; eam quàm primum in usum reuocari, & ab omnibus accuratè custodiri, studeant: non obstantibus consuetudinibus quibuscunque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignis, Deo vindice, penas persoluant.

CAPVT II.

c. c. cū in cūctis. & c. cū à nobis. de elect. e graue nimis, de præb. & in Sess. 24. c. 1. de ref. Conc. Saradic. ca. 13. Cōc. Rō. sub Nico. I. vers. v. t. nullus laicus. Cōc. Braccaren. l. c. 38. c. de Syra-

Qicumque posthac ad ecclesias cathedraliter erit assumendus, is non solum natalibus, etate, moribus, & vite, ac alijs, quæ à sacris & canonibus requiruntur, plenè sit præditus, verum etiã in sacro Ordine antea, saltem sex mensium spatio, constitutus, quarum verè instructio, si eius notitia nulla, aut recēs incerta fuerit, à Sedis Apostolicæ Legatis, seu Nuncijs prouinciarum, aut eius Ordinarijs, eoque deficiente, à viciniorib⁹ Ordinarijs sumatur. Scitètia verò præter hæc eiusmodi polleat, ut muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere. ideoque antea in Vniuersitate Studiorum Magister, siue Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel iure canonico merito sit promotus, aut publico alicui⁹ Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostēdatur. Quod si Regu-

laris

laris fuerit, a Superiorib. sue religionis similem fidem habeat. Prædicti autē omnes, vnde instructio, seu testificatio erit sumēda, hæc fideliter, & gratis referre teneātur: alioquin eorum conscientias grauitèr oneratas esse scient, ac Deum, & Superiores suos habebunt vltiores.

CAPVT III.

Episcope, a etiam tamquam delegati Apostolici, ex fructibus, & prouentibus quibuscumque omnium dignitatū, personatum, & officiorum, in ecclesijs cathedralibus, vel collegiatis existentiam, b tertiam partem in distributiones, eorum arbitrio assignādas, diuidere possint; vt scil. qui eas obtinent, si personaliter cōpetētes ibi seruitium iuxta formā, ab eisdem Episcopis p̄scribendam, quolibet die statuto nō impleuerint; illi diei distributionē amittāt, ne eius quoquo modo dominium acquirāt, sed s. b. r. x. ecclesie quatenus indigeat, aut alieri pio loco arbitrio ordinarij applicetur. Crescētē verō cōtumacia, contra eos iuxta sacrorū canonū cōstitutiones procedant. Quod si alicui ex prædictis dignitatibus in ecclesijs cathedralibus, vel collegiatis, de iure seu cōsuetudine, iurisdictio, administratio, vel officium nō cōpetat, sed extra ciuitatē in diocesi cura animarū immineat, cui is qui dignitatē obtinet incumbere voluerit. tūc pro tēpore, quo in curata ecclesia resederit, ac ministrauerit, tamquam præsens sit, ac diuis intersit in ecclesijs

cusanae.
28. dist. &
61. dist.
per totam
Sess. 7. c. 1.
de eodem
sed minus
plenē. 1.
Carthag.
ca. 1.
a Sess. 21.
cap. 3.

b Super
Sess. 21.
de refor.
cap. 3.

Cathedralibus, ac Collegiatis habeatur. Hæc ijs tantum ecclesijs cōstituta intelligātur, in quibus nulla est consuetudo, vel statutum, ut dictæ dignitates non seruientes aliquid amittāt, quod ad tertiam partē dictorum fructuum, & prouentuum ascendat: non obstantib. consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus, & constitutionibus, etiam iuramento, & quauis auctoritate firmatis.

CAPVT IV.

Quicumque in cathedrali, vel collegiata, seculari, vel regulari ecclesia diuinis mōcipatus officijs, in Subdiaconatus Ordine saltem constitutus non sit: vocem in huiusmodi ecclesijs in Capitulo non habeat, etiā si hoc sibi ab alijs liberè fuerit concessum: ij verò, qui dignitates, personatus, officia, præbendas, portiones, ac quilibet alia beneficia in dictis ecclesijs obtinent, aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet, ut alij Missas, alij Euangelium, alij Epistolas dicāt, seu cantēt: quocumq; ij priuilegio, exēptione, prerogatiua, generis nobilitate sint insigniti, teneātur, iusto impedimēto cessante, infra annum Ordines suscipere requisitos: alioquin penas incurrāt, iuxta constitutionē Concilij Vtenensis, a que incipit, Vt ij qui, quam præsentis decreto innouat, cogātque Episcopi eos diebus statutis dictos Ordines p seipos b exercere, ac cetera omnia officia, que debēt in cultu diuino

a c. vt ij
de xra. &
qual. in
Cle. lib. 1.
c. 2. tit. 6.
b Sess. 24.
cap. 11.

pre-

prestare, sub iisdem & alijs, etiam grauiori-
 bus pœnis, arbitrio eorum imponendis. Nec a-
 lijs in posterum fiat prouisio, nisi ijs, qui iam *Vide post*
 etatem, & cæteras habilitates integrè habere *finem hu-*
 dignoscantur: aliter irrita sit prouisio. *ius libri.*

CAPVT V.

Dispensationes, quacunque auctoritate cõ-
 cedende, si extra Romanam curiam com-
 mittende erunt, committantur Ordinarijs illo-
 rum, qui eas impetrauerint. e.e verò, quæ gra-
 uatiosè concedentur, suum non sortiantur effe-
 ctum, nisi prius ab eisdem, tanquam delegatis
 Apostolicis, summarie tantum, & extra iudi-
 cialiter cognoscatur, expressas preces surreptio-
 nis, vel obreptionis vitia non subiacere.

CAPVT VI.

In commutationibus vltimarum volunta-
 tum, c quæ non nisi ex iusta, & necessaria
 causa fieri debent, Episcopi, tamquam delegati
 Sedis Apostol. summarie & extraiudicialiter
 cognoscant, nihil in precibus, tacita veritate
 vel suggesta falsitate fuisse narratum, prius-
 quam commutationes, prædicta executione de-
 mandemur.

c inf. 8es.
 vlt. de ref.
 cap. 4.

CAPVT VII.

Legati, & Nuncij Apostolici, Patriarche,
 Primates, & Metropolitanani in appellatio-
 nibus ad eos interpositis, in quibusuis causis,
 tam in admittendis appellationibus, quam in

con-

a in Con. concedendis inhibitionib. post appellationem
Lug. seruare teneantur formam et tenorem sacrarū
b c. Ro- a constitutionum, & presertim b Innocentij
mana. de IV. quæ incipit, Romana: quacunque consue-
appel. in tudine, etiam immemorabili, aut stylo, vel
6. lib. 2. priuilegio, in contrarium non obstantibus: a-
Vide post liter inhibitiones & processus, & inde secuta
finem hu- quæcumque sint ipso iure nulla.
ius libri.

CAPVT VIII.

c Clem.
quia con-
tingit de
relig. do-
mi.

EPiscopi, & etiam tamquam Sedis Apostoli-
cæ delegati, in casibus à iure concessis om-
nium piarum dispositionum, tam in ultima
voluntate, quam inter viuos, sint executores;
habeant ius visitandi hospitalia, collegia qua-
cumque ac confraternitates laicorum, etiam
quas scholas, siue quocumque alio nomine vo-
cant, nō tamē, quæ sub regum immediata pro-
tectione sunt, sine eorum licentia, elemosynas
Montis pietatis, siue caritatis, & pia loca om-
nia, quomodocunque nuncupentur, etiam si
pædictorum locorū cura ad laicos pertineat,
atque eadem pia loca exemptionis priuilegio
sint munita, ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut
animarum salutem, seu pauperes sustentandos
instituta sunt, ipsi ex officio suo d iuxta sacro-
c. loānes, r̄ canonū statuta cognoscant, & exequantur:
de testa. non obstantibus, quacumq; consuetudine, et-
iam immemorabili, priuilegio, aut statuto.

CA.

CAPVT IX.

Administratores tam Ecclesiastici, quàm laici, fabricæ cuiusvis Ecclesiæ, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ Montis Pietatis, & e quorumcumq; piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario; & consuetudinibus, & priuilegijs quibuscumque in contrarium sublatis: nisi secus fortè in institutione, ac ordinatione talis ecclesiæ, seu fabricæ expressè cautum esset. Quod si ex consuetudine, aut priuilegio, aut ex cõstitutione aliqua loci, alijs ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum ijs adhibeatur etiam Ordinarius; & aliter factæ liberationes dictis administratoribus minimè suffragentur.

CAPVT X.

Cum ex notariorum imperitia plurima damna, & multarum occasio litium oriatur, possit Episcopus quoscumque notarios, etiam si Apostolica, Imperiali, aut Regiæ auctoritate creati fuerint, etiam tãquam delegatus Sedis Apostolicæ, examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari; illisque non idoneis re-
pertis, aut quandocumq; in officio delinquentibus, officij eius in negotijs, litibus, & causis ecclesiasticis, ac spiritualibus exercendi vsu perpetuò, aut ad tempus prohibere, neque eorum appellatio interdictionem Ordinarij suspendat.

e Clem.
quia con-
tingit. 6.
vt autem
pramissa.
derelig.
domi.
sup. Sess.
7. c. vlt. &
infr. Sess.
25. c. 8. de
ref.

CAPVT XI.

a 5. Aure-
 lien. 10.
 b 1. Tim. 6
 Conc. Tri-
 bur. ca. 7.
 Conc. Au-
 rel. 3. c. 22
 Conc. Pa-
 rif. 1. ca. 1.
 Conc. Tu-
 ron. 2. c. 25
 Conc. Au-
 rel. 5. c. 15.
 Cōc. Mo-
 gun. ca. 6.
 & 11.
 Cōc. Vor-
 mat. c. 7.
 Conc. A-
 quisg. c. 88
 Conc. La-
 teran. sub
 Leone X.
 Sess. 9. &
 10. c. pra-
 dia cum
 seq. 12. q.
 2.

SI a quem a Clericorū, vel laicorū, quacūq;
 is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali,
 praefulgat, in tantum malorum omnium
 radix cupiditas occupauerit, ut alicuius Eccle-
 siae, seu cuiusuis secularis, vel regularis benefi-
 cij, Montium Pietatis, aliorumq; piorum loco-
 rum iurisdictiones, bona, census, ac iura, etiam
 feudalia, & emphiteūtica, fructus, emolumē-
 ta, seu quascunque obventiones, quae in mini-
 strorū, & pauperū necessitates conuerti debēt,
 per se vel alios vi, vel timore incusso, seu etiam
 per suppositas personas Clericorum, aut laico-
 rum, seu quacumque arte, aut quocumq; que-
 sito colore in proprios vsus conuertere, illosq;
 vsurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab ijs,
 ad quos iure pertinēt, percipiātur, etiā anathe-
 mati tādū subiaceat, quādiu iurisdictiones,
 bona, res, iura, fructus, & redditus, quos occu-
 pauerit, vel qui ad eum quomodocunq; etiam
 ex donatione suppositae personae, peruenierint, ec-
 clesiae, eiusque administratori, siue beneficiato-
 ri, integrè restituerit: ac deinde à Romano Pōti-
 fice absolutionem obtinuerit. Quòd si eiusdem
 Ecclesiae patronus fuerit: etiā iure patronatus
 ultra praedictas pœnas eo ipso priuatus existat.
 Clericus verò, qui nefandae fraudis, & vsurpa-
 tionis huiusmodi fabricator, seu cōsentiens fu-
 erit, eisdē pœnis subiaceat; nec non quibuscūq;
 beneficijs priuatus sit, & ad quaecumque alia

beneficia inhabilis efficiatur: & à suorum Ordinum executione, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem, sui Ordinarij arbitrio suspendatur.

DECRETVM SVPER PETITIONE concessionis Calicis.

Insuper, a cùm eadem Sacrosancta Synodus a Sess. 21. can. 4. Superiori Sessione duos articulos, aliàs propósitos, & tum nondum discussos, videlicet: An rationes, quib. S. Catholica Ecclesia adducta fuit, vt communicaret laicos, atque etiam nō celebrātes sacerdotes, sub vna panis specie, ita sint retinendæ, vt nulla ratione Calicis vsus cuiquam sit permittendus: &, An, si honestis, & Christiane caritati consentaneis rationib. cōcedendus alicui vel nationi, vel regno Calicis vsus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, & quænam ille sint, in aliud tempus, oblata sibi occasione, examinādos, atque definiendos reseruarit, nunc, eorū, pro quibus petitur, saluti optimè consultum volens, decreuit, integrum negotium ad Sanctissimum Dominum nostrum esse referendum prout præsentis decreto refert; qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod vtile Reipub. Christianæ, & salutare petentibus vsus Calicis, fore iudicauerit.

Indictio futuræ Sessionis.

Insuper eadem Sacrosancta Tridentina Synodus

K

nodus

novus diem futura Sessionis ad feriam quinta, post octavam festivitatis omnium Sanctorum que erit dies 12. mensis Novem. indicit; & in ea decernitur de Sacramento Ordinis, & de Sacramento Matrimonij, &c.

Prorogata fuit Sessio usque ad diem
15. Julij. M. D. LXIII.

SESSIO XXIII.

QUAE EST SEPTIMA,
SVB PIO IV. PONT. MAX.
CELEBRATA DIE XV.
IUL. M. D. LXIII.

Vera, & Catholica doctrina de Sacramento Ordinis, ad condemnandos errores nostri temporis, à sancta Synodo Tridentina decreta, & publicata Sessione septima.

CAPVT I.

Sacrificium, & sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in nouo Testamento sanctum Eucharistiae sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit; fateri etiã oportet, in ea nouum esse visibile, & externum sacerdotiũ, in quod vetus translatus est. hoc autem ab eodẽ Domi-

no Sal-